



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Consulit discessuris episcopis, vt mutuam concordiam conseruent. Cap.
XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

perspicere contigerit, vno eodemque die vobiscum vna
 sacrosanctum festum recolare possim, & simul omnium
 causa permagnā animo capiam voluptatem, quod qui-
 dem fiet cum intellexero, & diabolicam crudelitatem, di-
 uina virtute opem ferente, per vestra rectè facta prorsus
 profligatam esse, & fidem nostram pace & concordia cō-
 ciliata vbiq̄ue egregie florere. Deus vos fratres charissi-
 seruet incolumes.

Hortatio vt decretis Synodi omnes obsequantur.

CAP. XIX.

Edictum, quod idem pondus habebat & authorita-
 tem, cum hac epistola imperator in singulas misit
 prouincias, suæque erga Deum piæ mentis integri-
 tatem illud legentibus, exquisitè intuendi dedit facul-
 tatem.

Consultit discessuris episcopis, vt mutuam concordiam

conseruent. CAP. XX.

De cætero autem, vbi concilium erat dimittendum,
 sermonem apud episcopos de rebus ordine dispen-
 sandis instituit. Omnibus igitur vno eodemque die
 in vnum conuocatis, eos, cum adessent, admonuit sedu-
 lo, vt pacis inter ipsos mutuò colendæ diligentem curā
 adhiberent, & contentiosas lites auerterent: & si quisquā
 inter illos ex sapientiæ præstantia multum laudis adeptus
 fuisset, nulla in illum flagrarēt inuidia, sed virtutis vnus,
 bonum commune esse censerent: qui autem præstabilio-
 res viderentur, non aduersum tenuiores se insolenter
 efferrent. Nam qui, inquit, reuera sint bonitate superio-
 res, diuini numinis est decernere. Dixit porrò oportere
 eos propter animi lenitatem & indulgentiam se inferio-
 rum imbecillitati submittere: rarum esse illud, quod sit
 expletum omnibus suis numeris & partibus: & propterea
 inter ipsos iis, qui leuiter peccant, veniam debere tribu-
 ere, benigne gratificari, & quæ humanæ sunt fragilitatis,
 condonare: concordem animorum consensum in primis
 colere, ne ipsi inter se concertantes, illis, qui ad obtre-
 tandum verbo Dei parati sunt, ansam eidem illudendi
 præ-

præberent. Quam rem omnium maxime præcaueri deberes, posse autem facile præcaueri, dummodo quæ apud nos sunt, illis admiratione digna videantur. Neque cuiquam nostrum obscurum esse, vtilitatem quæ ex sacris literis capitur, non omnibus conferre solere. Alios enim delictis ad tempus oblectari: nonnullos in eorum familiaritatem, qui aliquem dignitatis gradum adepti sunt, se calide insinuare: complures, eos qui humanitas & benigne ipsos excipiunt, amplexari: multos muneribus donatos, ad diligendum impelli: sed paucos admodum veræ doctrinæ amore flagrare: & amicum veritatis perraro reperiri. Quare omnibus esse imprimis consentaneum, vt ea quæ ad salutem vtilia sunt, quisque alteri, instar medici, suppeditet, ad eum plane finem, vt apud omnes omnino salutaris disciplina magno in honore habeatur. Ista, cum primis adhortatus est imperator. Ad extremum etiam illud adiecit, vt pro ipso ad deum preces obnixè funde-
rent. Cum igitur his præceptis eos instruxisset, omnibus fecit potestatem ad sua domicilia reuertendi. Illi lætitia gestientes, redierunt. Ad hunc modum, cum illi qui propter dissentientes opiniones longo quasi interuallo ab se mutuò diuulsi erant, tanquam in vnum corpus essent denuo coagmentati, deinceps vna apud omnes viguit sententia, ipsius imperatoris consensu confirmata.

*Quomodo literas dederit ad eos qui ad concilium
non conuenerant, & de pecuniarum in
populum largitione.*

CAP. XXI.

PRoinde imperator de prospero rei euentu lætus, illis qui concilio neutiquam interfuissent per literas fructum eiusdem vberem præbuit: populoque vniuerso cum per agros, tum per ciuitates disperso, ingentem pecuniæ vim, distribui mandauit: sicque festum diem ad recolendam vigesimi anni regni sui memoriam celebratum cohonestauit.

M m

Grone